

dicta arbitrarentali sententia continentur, & adhuc paratus est recipere ipsum castrum gratanter, & libentissime. Et propterea publice protestatur, quod si dicti fratres de Ponto aliquas expensas fecerint, vel facient deinceps, vel eos fecisse in præteritum apparuerit in castro prædicto, eas facient, & fecerunt invito prorsus, & contradicente præfato Domino Episcopo, cum eidem Domino Episcopo prædicti fratres per violentiam detinuerint, ac detineant castrum, & villam præfatam contra formam arbitralis sententiæ prælibatæ. Nam prædictus Dominus Episcopus, & procurator ipsius prædictis fratribus pluries, & pluries obtulerunt, consignaverunt, ac solemniter deposuerunt prædictæ pecuniæ quantitatem juxta formam arbitralis sententiæ memoratæ, petens cum instantia debita prædictus Dominus Episcopus, & procurator ejusdem sibi restitui castrum prædictum, quod quidem dicti fratres usque modo facere contempserunt contra formam arbitralis sententiæ prælibatæ; ex quo non est dubium dictos fratres incurrisse in pœnam librarum decem millia Astensium in compromisso contentam, cujus pœnæ medietas eidem Domino Episcopo attendenti & observanti omnia, & singula in dicta arbitrari sententia contenta venit persolvenda per fratres prædictos contrafacientes, ut præmittitur, arbitrari sententiæ memoratæ; de qua quidem medietate ipsius pœnæ compensationem objicit prænominatus Dominus Episcopus quantitatis prædictæ florenorum mille & quingentorum, protestandø similiter de residuo eidem solvendo per fratres prædictos. Imputare ergo sibi debent memorati fratres si expensas aliquas fecerint, vel facient in posterum in custodia castri prædicti, cum indebite, & injuste, ut præmittitur, ipsum castrum recusent, & negligent liberaliter relaxare eidem Domino Episcopo offerenti, ut prædicatur, ipsum velle recipere voluntarie, & gratanter. Protestatur insuper dictus Dominus Episcopus de damnis, & interesse datis, & factis per prædictos fratres in castro prædicto Castelletti, & aliis castris ejusdem Domini Episcopi, nec non de expensis per ipsum Dominum Episcopum factis eundo, stando, & redeundo in Civitate Astensi, & alibi coram Domino Potestate Astensi prædicto occasione depositi memorati facti ob contumaciam fratrum prædictorum. Et de prædictis omnibus, & singulis idem Dominus Episcopus nobis Notariis præcepit fieri publicum instrumentum ad consilium unius sapientis, vel plurium. Et ita &c.

Ego Johannes de Castello, Imperiali auctoritate Notarius his omnibus interfui, rogatus hanc cartam tradidi, scripsi, & me subscripsi, consueto appposito signo meo.

Ego Ughetus de Rolando Imperiali auctoritate, Notarius his omnibus interfui, & me subscripsi in testimonium præmissorum, signoque meo ecc.

Ego Jacobus, &c.

*Præceptum Guidonis Episcopi oppidanis Castelletti, ut ipsi, non aliis vectigalia, ac tributa solvant.*

MCCCXLIII.

192

Anno Domini MCCCXLIII., Ind. XI., die 26. Novembris in villa Castelletti Aquensis Diocesis, & in domo Jacobi Costæ de dicto loco Castelletti, præsentibus Oberto Poncio, & Petro de Burmida ambobus de Bestagno testibus ad infra-scripta vocatis, & rogatis. Quorum præsentia & mei Notarii infra-scripti Goslinus de Goslinis de Bestagno procurator, & procuratorio nomine ad infra-scripta specialiter ordinatus per Reverendum in Christo Patrem Dominum Guidonem, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Aquensem Episcopum, ut patet per cartam traditam hodie per me Notarium infra-scriptum, constitutus in præsentia Jacobi Costæ de Castelletto prædicto, consulis, & sindici communis, & hominum loci prædicti Castelletti Aquensis Diocesis ad mensam præfati Domini Episcopi pertinentis pleno jure, necnon Jacobi filii quondam... dicti loci publice dixit, protestatus fuit, ac denunciavit eidem eorum nomine, & nomine omnium, & singularum personarum loci præfati, quatenus cum juxta formam cujusdam arbitralis sententiæ, arbitramenti, sive compositionis prolatae, seu factæ inter præfatum Dominum Episcopum, sive quosdam alios ejus nomine ex una parte, & Dominos Luchinum, Bonifacium, & Percivallum fratres de Ponto, sive de Carreto, seu alio ipsorum suo, & prædictorum nomine ex alia, pronunciatum, & arbitratum fuerit per Dominos Paganinum de Bisozero Potestatem Astensem, Albertum ex Marchionibus Ancissæ, & Ughetum de Monteclaro, arbitros, arbitratores, & amicabiles compositores inter partes prædictas, sive alios eorum nomine; inter cætera videlicet, quod prædicti fratres de Carreto eidem Domino Episcopo restituere, ac libere relaxare debeant castrum, & villam Castelletti, persolutis tamen eidem fratribus per dictum Dominum Episcopum mille & quingentis florenis; cumque præfatus Dominus Episcopus, sive alius, vel alii ejus nomine pluries & pluries obtulerint, consignaverint, ac solemniter deposuerint integram, & cum effectu prædictam quantitatem pecuniæ, ut de prædictis apparent publica instrumenta, ac per Reverendum Dominum Episcopum non stet, nec eidem imputari possit quod non attendat plenarie, & cum effectu omnia, & singula in dicta arbitrari sententia comprehensa, sed potius per partem adversam, ut assererat procurator præfatus, quod modo, & in posterum ab hac hora in antea non debeant persolvere, nec respondere præfatis Dominis Luchino, & fratribus, nec aliis quibuscumque personis quovis nomine nuncupentur præterquam eidem Domino Episcopo, vel ejus certo nuntio de aliquibus fictis, redditibus, homagiis, fodris, taleis, proventibus, godiis, seu aliquibus obventibus quocumque nomine censeantur, consuetis præstari, vel solvi per dictos homines Episcopis Aquensibus occasione castri, & villæ prædictorum, & in posterum de novo præstandis, dicens, & protestans dictus